



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XXIII. De Dißidio inter Cyprianum & Stephanum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XXIII.

D E

*Dissidio inter Cyprianum & Stephanum.*

**S**uspensis parumper priorum temporum persecutionibus sævissimis, quas viri sanguinum in Catholicam Ecclesiam moverant, quibus gladium exercere in Christi fideles, ad eorum probandam fidem & constantiam cœlitus permissum fuerat; in ipso procelloso Ecclesie Oceano terum nova videbatur facies, inopina tunc tunc Christiani videbant læri aledonia. Hoc ipsum Sathan, ab athleticis superatus, ferre non valens, animorum concordiam, quam Princeps Pacis suis reliquebat, aut omnino tollere, aut saltem turbare nisus fuit, quando dimidiato sæculo tertio Christiano præclarissimos Ecclesie Antistites validè collisit, diversum de hæreticorum baptisinate sentientes. Quia de re memorat Eusebius H. E. Lib. 7. cap. 2. scribens. *Erat id temporis non exigua questio & Controversia concitata. Utrum oporteret eos, qui se à quocunque hæresis genere revocassent, lavacro baptismatis repurgare.*

Cardinalis Baronius. *Annal. ad An. Chr. 258. num. 12.* quod Novatiani hæretici ad se desectentes baptizarent Catholicos. Quo prætextu Episcopi Africani, horumque Primas S. Cyprianus hæreticos quoque baptizabant. Idem subinnuere videtur præfatus Eusebius hisce. *Cyprianus Carthaginiensis Ecclesia Pastor primus inter homines ejus ætatis, non aliter quàm per lavacrum baptismatis hæreticos erroris maculis antea ablutos, in Ecclesiam admittendos existimavit.* Verum quidem est sanctum Cyprianum à quodam Magno consultum, an Novatianos, ad Ecclesiam Catholicam venientes, baptizari oporteat *Epist. 76.* respondisse omnes simul hæreticos sine ullo discrimine nihil potestatis aut juris Spiritualis habere; propter quod Novatianus nec debet, nec potest excipi. Attamen ante hujus Novatiani primi Antipapæ & ipsiusmet Cypriani tempora quosdam extitisse, qui hæreticos nonnisi per lavacrum baptismi recipiendos adstruerent, tum alii, tum idem Cyprianus *Epist. 71.*

Hh

dilu-

dilucidè perhibent. Quod quidem Episcopus Agrippinus bonæ memoriæ vir, ut ait ille, cum cæteris consecratoribus suis, qui illo tempore in Provincia Africæ & Numidiæ Ecclesiam Domini gubernabant, statuit, & librato consilii communis examine firmavit. Hic itaque Agrippinus Carthaginensis Episcopus (hujus in ea Sede immediatum videtur Baronius constituere Cyprianum successorem, cum tamen, in aliorum opinione diu post præfuerit) Episcopos Africæ & Numidiæ in hac causa convenire fecit, qui hanc suam sententiam ratam acceptamque habuere. Hinc liquet, quod Scriptor, aliàs fat accuratus, Vincentius Lirinensis hallucinatus fuerit, dum *lib. cont. hæres. cap. 9.* scribit, quod Agrippinus Carthaginensis Episcopus primus omnium mortalium hæreticos rebaptizandos esse censuerit *contra omnium Sacerdotum opinionem.*

Ex aliore etiam antiquitate multi deducunt doctrinam de baptizandis hæreticis, qui Clementem Alexandrinum, Irenæum & Justinum hujus sententiæ patronos dicunt. Imo Dionysius Alexandrinus *Epist. ad Philem. Presbyt.* apud eundem Eusebium perhibet, se didicisse, quod non Episcopi in Africa solum istam consuetudinem de hæreticis baptizandis invexerint: verum etiam longo tempore ante, Episcoporum memoriâ, qui antegressi sunt, in Ecclesiis, maxima hominum frequentia celebratis, illud decretum fuerit. Quo vergit hoc Carthaginensis Concilii responsum ad Numidiæ Episcopos.

*Sententiam nostram non novam promimus: sed jam pridem ab Antecessoribus nostris statutam, & a nobis observatam vobiscum pari consensione conjungimus: censentes scilicet, & pro certo tenentes, neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse.* Hæc dum aliqui conciliare conantur, dicunt, quod Agrippinus decreto Synodico rebaptismum hæreticorum constituerit, & ad praxin deduxerit, quem

deinde Cyprianus magna contentione propugnaverit & propagaverit (ob hoc illius libri à Gelasio inter apocryphos videntur recensiti) doctrinâ inbutus Sextimii Tertulliani, cujus Scripta in tanta veneratione habuit, ut nullum sine eorum lectione diem prætermitteret, dicere solitus famulanti, dum legere vellet. Da Magistrum, intelligens Tertullianum. Hic Carthaginensis Clericus Agrippino suo Episcopo, sicut passim refertur, persuasit, ut, coacto Concilio latissimo rebaptizandos hæreticos esse statueret: hancque esse necessariam disciplinam prætendit, tum *lib. de prescript.* quem annis 40. ante Concilium, ab Agrippino coactum, composuerat, tum *lib. de baptismo* antequam lapsus fuisset, *libro denique de pudicit.* quem post lapsum exaravit, hæc habet. *Appud nos, ut Ethnicis par, imo & supra Ethnicum hæreticus etiam, per baptismum veritatis utriusque homine purgatus admittitur.*

Fuit ea tempestate Cypriani hyperaspistes Firmilianus, Cæsarex in Cappadocia Episcopus, Origenis quondam auditor, hic in Concilio Iconiensi, in Phrygia anno 258. celebrato, cui interfuerunt Episcopi Cappadociæ & Ciliciæ, maximè pronavit decretum, quod in eo, de baptizandis ad fidem conversis hæreticis, fuerat conditum, & cum Cypriano, ejusdem sententiæ tunc acerrimo propugnatore, amicitiam contraxit: illum Christianus Lupus Pontificiæ infallibilitatis primum oppugnatorem vocat. Ut autem hanc doctrinam veluti Ecclesiasticam Cyprianus stabiliret, duo convocavit Concilia, in quorum postremo 71. Episcoporum, ipso Præsidente, definitum fuit; baptizatos ab hæreticis, imo & schismaticis, quales tunc erant Novatiiani, esse rebaptizandos, si ad veram fidem converterentur. Hoc legitur *Epist. 73. ad Juba.* Illud ipsam etiam in tertio Concilio definitum fuit, quando Episcopi Mauritanæ accesserant; per cujus decreti ratificatione habenda Cypria-

mus Stephano Rom. Pontifici transmissit exemplar, ut S. Hieronymus in *Dialog. cont. Luciferian.* memorat subdens. *Sed conatus eius frustra fuit.* Nam etsi prædecessores Stephani Concilio aliàs per Agrippinum celebrato sese non opposuissent, & Africanos in sua opinione reliquissent; interpellatus tamen Pontifex, conformiter traditioni Apostolicae, rescriptit. *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos; nihil innovetur, nisi quod traditum, ut manus ei imponatur in penitentiam.* Ita legitur in *Epist. Cypriani* 74. ad Pompejanum; nam Epistolæ Stephani non amplius extant. Eadem de se Augustinus contra Petilian. cap. 14. scribit. *Erant duarum eminentissimarum Ecclesiarum, Romana scilicet & Carthaginensis Episcopi duo, Stephanus & Cyprianus; ambo in unitate Ecclesia constituti, quorum Stephanus in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat. Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos, tanquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia Catholica censebat.*

Occasione hujus diffidii inter eruditos diversæ quæstiones ventilari cœperunt sæculis posterioribus: quarum illa prima esse poterit. An, sicut Cyprianus sensit quosque demum hæreticos ad Ecclesiam venientes esse baptizandos; ita Stephanus censuerit, nullos planè hæreticos esse abluendos, nequidem eos, qui formam ad baptismi valorem à Christo Domino constitutam, non applicassent. Affirmant hoc de Stephano, Joannes de Lainoy, Elias du Pin, Adri. Baillet & quidam alii è Protestantium turba; idque probare volunt hisce.

I. Stephani hanc fuisse sententiam, dilertè ejusdem supra citata verba indicant. Ait enim. *Si quis à quacunque hæresi venerit ad nos, &c.* Ubi non additur, quod aliàs addi debuisset. Quæ integrant non adhibet formam baptismi. Hanc limitationem pariter prætermisit Eusebius, quando de Ste-

phano. H. E. l. c. hæc prodit. *Literas scripserat Episcopis per Ciliciam & Cappadociam constitutis, se eam ob causam ab illorum unione discessurum, quod hæreticos rebaptizarent.* Atque hi omnes omnino cum baptizarent; utique addidisset Pontifex, quod baptizarent etiam illos, qui formam præscriptam adhiberent, nisi in eo reprehendendos censuisset, quod omnes baptizarent, cum nullos ipse baptizandos judicaret. Frustra ergo verba Stephani à Recentioribus restringuntur, quæ veterum nemo restrinxit.

II. Stephanus Papa noluit eos baptizati, qui abjurata hæresi Marcionis, Valentiniani & Apellis in Ecclesiam intrare cupiebant. Id edicit Cyprianus in *Epist. ckt.* *Cur in tantum Stephani fratris nostri obstinatio prorumpit dura, ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentiniani & Apellis, & caterorum blasphemantium in Deum Patrem, contendat Filios Dei nasci? Marcionem autem ejusque discipulum Apellem; ut & Valentinianum absque invocatione Trinitatis baptizasse, tum idem Cyprianus, tum alii tradunt.* Itaque Papa, dum horum recipit baptismam hæreticorum, omnium reliquorum recepisse planum sit. Hoc ipse Cyprianus l. c. verbis prodit apertissimis. *A quacunque hæresi venientem baptizari in Ecclesia vetuit. Id est omnium hæreticorum baptismata justa esse & legitima judicavit. Et cum singula hæreses singula baptismata, & diversa peccata habeant, hic, cum omnium baptismis communicans, unversorum delicta in sinum suum coacervata congestit.* Ubi signanter illud observandum, quod sanctus Præsul dicat. Singulas hæreses si singula baptismata habere, qui diversâ scilicet utebantur formâ; qui enim legitimam applicant formam unum baptismam habent.

Ab hoc errore S. Stephanum vindicant Baronius, Schelstrate, Mairabourg, Pagius, Naral. Alexander & perique omnes Sedi Romanæ devoti, quorum fundamentum est.

I. Cum Ecclesia Christi, juxta Paulum 1. Tim. 1. sit columna & firmamentum veritatis, impossibile est, quod in iis, quæ spectant ad fidem & Sacramenta, in errorem labatur. Fuisse autem in errore versata, dum omnes, qui Christiana professione censebantur, secuti fuissent aut Stephani opinionem, aut Cypriani sententiam. Dum ergo certum, Cyprianum errasse, de Stephano id dici non poterit. Errat itaque in invio, & non in via Samuel Basnage, qui tom. 2. *Annal. Politico Ecclesiast. ad annum Dom. 256.* hanc num. 7. frivolam adfert exceptionem.

Atqui de errore, qui pietatem non evellit, & in obscurissima materia versatur, Ecclesiam errare universam nil prohibet. Erat ille, qui falsam sententiam fert de his, quæ nescit, ut docet D. Thomas *quæst. de malo q. 3. art. 3.* Si ergo daretur ultionem, Ecclesiam ea, quæ pietatem non evellunt, quanquam ad Dei cultum spectent, ignorare posse, & exinde falsum pronuntiare; an id extendi potest ad Sacramentum illud, quod ob signat omnium peccatorum remissionem, inbitionem in Ecclesiam, regenerationem vitæ æternæ, estque mystica collatio omnium beneficiorum Christi? ut id ipsum deprædicat S. Augustinus *Lib. cont. Crescent.* Omnino pietatem evellit & destruit opinio erronea in re Sacratissima; quam, dum fideles sequuntur, aut immani se obstringunt Sacrilegio, initerabile Sacramentum repetendo, aut æternæ subeunt salutis periculum illud non recipiendo. Ab ipso Joanne Calvino veræ Ecclesiæ nota constituitur legitima Sacramentorum administratio *lib. 4. instr. cap. 1. §. 9. & seqq.* Dum ergo de Sacramenti hujus administratione hæreticus deneganda vel concedenda utrimque erraretur, hæc nota destituta congregatio definiret vera esse Ecclesia.

Hunc errorem prohibet utique Spiritus Sancti perpetua assistentia, quem Pater misit in Nomine Filii, docuitque Apostolos

omnem veritatem, cujus lumen indeficiens depellit omnem obscuritatem, quæ circa Sacramentorum administrationem obvenire possit. Quod autem citatus Author subiecit de Ecclesia; quasi verò non erraverit cum infantibus ministraverit Eucharistiam, aut Sacrum Domini corpus privatis auferri concesserit, huc nihil facit; neque enim ea utriusque exempli Ecclesiæ universalis fuit disciplina. Hunc Annalium Scriptorem secumque sentientes, quod Ecclesia in confitendo hæreticis baptismum erraverit, confundit & erroris apertissime convincit S. Augustinus. *Quia, si Ecclesia tota erroribus corrupta fuit, (quæ ille lib. 6. de baptis. heret. cap. 77.) de qua caverna isti sine Origine veritate, & cum calumnie calliditate procedunt? Si vero recta fuerit consuetudo, quia hic accipiebantur hæretici, relinquunt forem; fateantur errorem, veniant ad Ecclesiam: non ut retineantur Sacramento baptismi: sed ut curentur à plaga consuetudinis.* Sapiet cui hæc sapiunt.

II. Stephanum Pontificem de administrando hæreticis baptismum, vel non iterando Sacramento recte sensit, evincunt testimonia Patrum: atque imprimis S. ipsiusmet Cypriani, qui de adversariorum suorum opinione scribit *Epist. cit. ad Pompej.* *Aut si effectum hujusmodi baptismi Majestatis nominis tribuunt; ut, qui in nomine Christi obcunquæ & quomodocunquæ baptizantur, innovantur & sanctificati judicantur.* Insignis etiam pro Stephani opinione est locus Firmilianus, ubi ait. *Illud quoque absurdum, quod non putant, querendum esse, quis sit ille, qui baptizaverit; eo quod, qui baptizatus fuerit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate Nominum Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* Deinde de eodem Pontifice Vincentius Lirinensis in suo Communitorio, tantopere, etiam à Centuriatoribus, commendato sic discit.

*Intelligebat enim vir Sanctus & prudens nihil*

nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filius consignarentur, nosque Religionem, qua vellemus ducere: sed potius, qua illa duceret, nos sequi oportere: idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere: sed à majoribus accepta servare. His conformiter Pontifex suo decreto recens venenum sese diffundens, veluti cauterii ustione cohibere volens, rescripsit in Africam. Nihil innovandum, nisi quod traditum. Sed hac in re præ ceteris audiendus Præsul Hipponensis, qui mentem in hæreticis admittendis sine iteratione baptismi, Stephani Papæ insinuat conformem traditioni Apostolicæ dum lib. 5. de bapt. cont. Donatis. scribit. *Consuetudo illa, qua opponatur Cypriano, ab Apostolorum traditione exordium sumpsisse credenda est. Sicut sunt multa, que universa tenet Ecclesia & hæc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.* Ita ille; cui traditio Apostolica longè notior, quam modernis quibusdam, qui eandem de non rebaptizandis hæreticis negantes, ab Apostolis derivatam; eruditissimum & antiquitatis Ecclesiasticæ scientissimum Antistitem inscitæ & falsi postulare non veretundantur: cum tamen huius viri autoritas apud prudentes plus valere debet, quam omnium simul naturalium criterium.

De Augustino, ut ait Celestinus Papa, bene omnes in communi sentiunt; utpote, qui ubique cunctis & amoris fuerit & honori. Ejus doctrinam Orbis Christianus amplexus est, Literarius demiratus. Nihilominus criminatores audent affectorem veritatis falsi insinulare: adeo nihil tam probe aut providè dici potest, quod non possit malignitas vellicare. Scribit Lipsius de una Religione. Aliibi quoque idem S. Pater de Stephano recenset. *Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat.* Quod autem sine de-

bita forma & omiſſa Trinitatis invocatione confertur, non est baptismus Christi, & hoc supplendum cum universa Ecclesia Papa censebat. Fruſtra itaque citatus Annalista Ecclesiastico-Politicus conatur argumentationes suas tortuosas & cavillatrices expandere in abneganda traditione Apostolica, quam Stephanus allegat & S. Augustinus disertè propugnat, quasi nullus Apostolorum tempore, aut iis morte sublatis, ante Tatianum, qui an. 170. emerſit, extiterit hæreticus; quæ in nomine Trinitatis baptizavit. Eo enim gratis admiſſo, nil obſtat, quo minus doctrina Apostolorum, de non baptizandis deinde hæreticis, qui cum debita forma & materia suos abluebant, quasi per manus tradita ad ipsum pervenerit Stephanum: etſi olim nemo hæreticorum ad Ecclesiam fuiſſet receptus, niſi unda Sacra, juxta ritum Romanæ Ecclesiæ tinctus; quia ſcilicet nulla ſecta ſuos ita abluſſet. Et licet etiam poſtea extiſſent, qui ab hæreticis ritè baptizatos rebaptizandos cenſebant: nihilo ſecius viguit & prævaluit, quæ in more poſita fuit & inſtituto majorum conformis diſciplina; ac uſque huc poſt tot ſæculorum decurſus perſiſtit; ut, non obſtante errore baptizantis, juxta Chriſti inſtitutum baptizari non rebaptizarentur. Hanc diſciplinam Dionyſius Alexandrinus apud Baronium juxta ſuorum prædeceſſorum Demetrii & Heraclæ conſuetudinem in ſua Ecclesia omnino conſervare voluit, de quo Heracla ipſe refert apud Eusebium l. c. *Ad Communionem eos admittentibus, nequaquam exiſtimans iterato baptismo eis opus eſſe: quippe jam antea Spiritum Sanctum ab eo acceperant.* Sunt tamen, qui hunc Dionyſium illo ſæculo Ecclesiæ ſuæ ornamentum, qui conſeſſione celebris & eruditione clariffimus habebatur, Cypriani doctrinæ ad hæſiſſe volunt, quod diſertè narrat Hieronymus apud citatum Cardinalem, creduntque Valeſius, Pagius Maimbourg, &c. &c. à quibus diſſentiunt alii, qui ex propriis

Dio-

Dionysii Scriptis ipsum ab hoc errore vindicare conantur.

Hos Authores nonnulli conciliare volunt, dicuntque Dionysium ejurata Cypriani opinione, in Stephani sententiam rursus ivisse de quo infra. Quid virium insit argumentis, quibus Stephani error probandus suscipitur, ex Responsionibus facile dignosci poterit.

Ad Primum Respondetur. Quandoquidem Stephanus Papa I. suam sententiam in hac Controversia Apostolica traditioni voluerit esse conformem; eadem autem alia non fuerit, quantum ad baptismi valorem requisita, quam quæ ex ipso Sacramentorum Authore originem traxit (adeoque non nisi sub invocatione Trinitatis juxta Christi institutum subsistere queat) hæc traditio doceat; prorsus à veri specie alienum est, Stephanum, dum traditionem interpellat, oppositum menti suæ impressisse, qui in suo rescripto explicitè non addit, quod erat necessarium, subintelligendum; scilicet, adhibita formâ à Christo instituta: quod, cum per se parebat, supervacaneum vir Sanctus duxit, hanc clausulam inserere; præsertim cum de sola baptizantis facultate, non de forma adhibenda quæstio ageretur. Intendebat Pontifex infringere Cypriani dogma, quo omnium exsufflabat baptismum hæreticorum, quasi hi non possent dare Spiritum Sanctum, quem non haberent: cui Stephanus sese opponerebat, negans baptizantis hæresin officere, suppositis cæteris requisitis: ac proinde ex quacunque hæresi venientes sine iteratione baptismi recipiendos statuit. Atque hæc ratio est, cur veterum nullus, qui Stephani rescriptum producit, eam limitationem apposuerit; quæ suapte naturâ censebatur genuino sensui insita. Causa, quam Stephanus, apud Eusebium, Episcopis eorumque assensibus per Ciliciam & Cappadociam indicat, cur ab eorum communione vellet recedere, non erat, quod hæreticos

baptizarent: sed quod rebaptizarent eos scilicet, qui initerabile Sacramentum recepissent: qui verò hæreticorum erant aqua abluti sine invocatione Trinitatis, dum ad Ecclesiam veniunt, non rebaptizabantur: sed, quod fieri debebat, baptizabantur; à quibus baptizantibus Papa nunquam recedendi animum gessit.

Ad Secundum Respondetur. Sancto Cypriano sua maneat authoritas, gravitas & eminentia, quam ei insignis eruditio, vita integerrima, merita præclara & dignitas hierarchica conciliaverunt: cujus viri dictis factisque ideo multum deferri debet. Equidem candidè fateri oportebit, illum rectè specie deceptum, Stephani mentem minus bene intellexisse, cujus inflexibilem animi firmitatem probè sentiebat. Id quod facile obvenire potuit animo præjudicis occupato & abrepto, qui mentis aciem potius dirigebat in hoc, quod propria defendere, quam ut aliena intelligeret. Neque propterea insolitum, viros Sanctos fallaci quadam fama afflari, suæque credulitati indulgere. Cum itaque sanctus Episcopus, solita moderationis, debitæque observantiæ limites transgrediens ad Pompejum in fermento constitutus scriberet de Marcionis Valentiniani & Apellis ratificato per Stephanum baptismo, à quo tum loci intercapedine, tum mente plurimum distabat, illud Ovidianum ipsi occini poterat.

9. Metam.

--- Fama loquax pervenit ad aures  
--- Tuas, qua veris addere falsis  
Gaudet, & c. minimo sua per mendacia  
crescit.

Neque absortum erit dicere, quod, etiam si præfati hæresiarchæ Sanctissimæ Trinitatis mysterium aliquando ejuraverint, eorum sequaces aliam atque aliam fidem amplexi sint, teste S. Augustino l. c. Nam ut scitè Terullianus

stant *lib. de prescript.* idem licuerit Valentiano, quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni de arbitrio suo fidem innovare. Denique si hæreses omnes attentè quis inspiciat, plurimum ab Authore Dissidentes reperiet sectarios: & si senserint perversè de illo Sanctissimæ Trinitatis mysterio, potuit tamen baptismus ab iis collatus juxta Christi institutum suum habuisse effectum, de quo Augustinus *lib. 2. de baptismo.* quod habetur de *Consecrat. Dist. 4. c. Sacris.*

*Satis ostendimus ad baptismum, qui verbis Evangelicis consecratur, non pertinere cuiusdam dantis vel accipientis errorem, sive de Patre sive de Filio, sive de Spiritu Sancto aliter sentiat, quam cœlestis doctrina insinuat.*

De Stephano Papa ferunt, justum & tenacem propositi virum, suam adeo tutum opinionem de non rebaptizandis hæreticis; ut contra sentientes excommunicationis fulmine perfrinxerit. Quod, dum in literariam excedam referatur, uberem præbet disputationis materiam. Factum negant Bellarminus *Lib. de Concil. cap. 3.* Baronius *Annal. ad An. Chr. 256.* Perronius, Henricus Valerius *in annot. ad cap. 5.* Euseb. H. E. Natalis Alexander. *H. E. Sacul. 3. Diff. 13.* quorum sententiam, ut sibi visam probabiliorem, Schellstrate *Antiq. Illust. p. 2. Diff. 1. cap. 5.* amplectitur, & in his potissimum fundatur.

I. Apud Eusebium *loc. cit.* Dionysius Alexandrinus Episcopus de Stephano testatur. *Antea quidem literas scripserat de Firmiliano; de omnibus denique Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam cunctasque finitimas Provincias constitutis, sese ob eam causam ab illorum Communionem discessurum, quod hæreticos rebaptizarent.* Quæ verba indicant, quod Pontifex duntaxat minis illos terruerit, non autem ipso facto excommunicaverit. In editione Parisiensi, Dadræo interprete,

*cap. 4. legitur.*

*Quod neque cum eis quidem ob eandem causam omnino communicare vellet.* Id est, proposuerit secessionem facere, quod similiter Cyprianus *cit. Epist.* prodit. Stephanus, inquit, putat excommunicandos eos, qui baptizant ab hæreticis baptizatos: & in *Epistola ad Subjanum* significat, quod cum collegis suis, contrarium facientibus, pacem habeat. Id quod falsum foret, si per excommunicationem ab his fuisset se junctus. Quandoquidem ergo nullibi legatur, quod aut Stephanus Firmilianum, Cyprianum, horumve affectas à communione Romanæ Ecclesiæ, saltè per sententiam latam, separaverit, & separatos declaraverit, id asserere temerarium videbitur. Quinimo Hieronymus conceptis, ubi supra, testatur verbis, quod Cyprianus in communione permanserit cum iis, qui sententiæ suæ contrariarent. Denique Augustinus *loc. cit. cap. 7.* observat, hos Ecclesiæ Patres, Stephanum scilicet & Cyprianum, salva pace, & charitate in hac quæstione discessisse.

*Qui, etsi (verba ejus sunt) in quæstione ab Ecclesia necdum decisa sibi contrariarentur: vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos schismatis materiam oriretur.* Id ipsum suo roborat calamo Pacianus Episcopus Barcinonensis, præfatis Episcopis Dissidentibus suppar *Epist. ad Sympronianum.* Adstipulantur Vincentius Lirin. & alii quamplurimi.

II. Magnus ille Dionysius Alexandrinus nequaquam, repudiata Ecclesiæ suæ disciplinâ, sententiam Cypriani & Firmiliani fuisset amplexus; si hos novisset censurâ excommunicationis irretitos: ideo quod suam opinionem contra Stephanum tuerentur. Neque hunc rogasset Pontificem, ut eorum sententiam tolerare dignaretur; si scivisset propterea anathematizatos, quia ab eadem non desisterent. Quod eum Dionysius scripto præstiterit, veri speciem non inducit,



quod de Stephani lata in Cyprianum & Firmilianum excommunicatione vulgò decantatur.

III. Firmilianus Episcopus interfuit circa annum Domini 264. Concilio Antiocheno, in quo fuit damnatus Paulus Samosatenus. Verùm S. Gregorius Thaumaturgus, illiusque frater Germanus S. Antinodorus, &c. &c. Sedi Apostolicæ communiõne juncti non fuissent passi suo in coetu Episcopum ejus communiõne privatum: imo eundem Firmilianum in Epistola Synodica vocant *Sanctæ recordationis virum*. Et, quod magis est, in Menologio Græcorum die decima octava Octobris locum reperit. Quo certè evincitur, virum istum, summis laudibus à Basilio deprædicatum, nequaquam à Pontifice fuisse fulguritum, &, ut S. Augustinus loquitur *Lib. de unit. Eccl. cap. 3.* visibiliter præcisum à corpore Ecclesiæ.

Alia mens inest aliis; &, quod Cyprianus cum Afris, Firmilianus cum Orientalibus, propter Dissidium de rebaptizandis hæreticis, re ipsa à Stephano fuerint excommunicari, spectatissimi quidam Scriptores moderni sustinere volunt; quibus adnumerandi Nicolaus Rigaltius Calliarum Regis Bibliothecarius in *not. ad Epistolam Cypriani 75.* & Christianus Lupus Academia Lovaniensis in *signe decus p. 4. ad Can. 22. Dictar. Gregor. VII.* Et hic quidem adducit pro se testimonium Dionysii supra cit. in quo alii non reperiunt præterquam minas. Super quo audiendus ipse Firmilianus, pars magna hujus Dissidii, qui *Epist. ad Africanos* hæc exarat.

*In cæteris quoque Provinciis plurimis multa pro locorum & nominum diversitate variantur: nec tamen propter hoc ab Ecclesia Pace aliquando discessum est, quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpere adversus vos Pacem, quam semper Antecessores ejus vobiscum amore & honore mutuo custodierunt. Atque hæc Epistola, in qua tam lu-*

*culenter Pax rupta refertur, inter Epistolæ Cypriani 75. extat, quæ ab omnibus Firmiliano adjudicatur Criticis; quidquid Pamelius, designatus Episcopus Andromatopolitænis, in not. ad Cyp. Epist. videatur contrarium sentire, quam censet perpetuis conturbatius damnandam tenebris. In ea multa felle amaritudinis concepta effudit contra Pontificem, & per sarcasimum prosequitur. Quid enim humiliter, aut, quid lenius, quam cum tot Episcopis per totum mundum disseffisse, pacem cum singulis vario discordia genere rumpentem modo cum Orientalibus (quod nec vos latere confidimus) modo vobiscum, qui in meridie estis. Sole meridiano clariora hæc videri possent, quibus tamen Schelstrate l. c. art. 2. num. 67. lucem adferentur, dum ita discurret.*

*Cum Firmilianus testetur ob varium discordia genus à Stephano Orientales & Africanos excommunicatos fuisse; & certum sit, quod ob solam de baptismo discordiam Cyprianum excommunicatum putaverit Firmilianus, sequitur manifestè excommunicationem Orientalium non intellexisse de discordantibus in baptismo hæreticorum, ut putavit Baranovius: sed in alio, quod in Oriente motum fuisse tradit Dionysius Patriarcha Alexandrinus apud Eusebium lib. 6. cap. 46. Orientales utique Episcopi discordabant non solum inter se: sed etiam cum S. Stephano ob Schisma Novatianum: Et quia non Firmilianus: sed Orientales Episcopi ex Patriarchatu Antiochia, qua Metropolis erat Diocesis Orientis, Novatiani schisma tuebantur, testatur Firmilianus non de se: sed de Orientalibus Episcopis, Stephanum vario discordia genere, à contentione de hæreticorum baptismo distincto, patenter rumpisse. Hactenus ille, Cujus quidem ingeniosa exegesis satis elucidat sensum: ast de hac re gesta non evellit testimonium. Esto enim aliam ob causam quoddam Orientales Stephanus sua privasset communiõne: Africanos tamen, cum quibus non minus, quam*

cum Orientalibus pacem ruptam Firmilianus queritur, non alia de causa excommunicavit, quam quod in Cypriani sententiam iussent. Hoc, cum tacite apud se perpenderit Schelstrate, videretque Firmiliani testimonium adeo manifestè suæ opinioni contrarium, ut nec, ipse erumpere, nec illud in alium sensum torqueri posset, rejiciendum duxit: sic, ut Firmiliano sit fides habenda, quæ de Orientalibus, non, quæ de Cypriano meminit; præsertim cum Cyprianus in sua causa plus fidei mereatur, qui nullam in se laram excommunicationem alicubi referat. Eadem est opinio Baronii de Orientalium excommunicatione lata, & Cypriano duntaxat minitata, de quo scribit. *Constat nequaquam à Stephano fuisse Apostolica communicatione privatum.* Sed unde constet, desideratur. Ab hisce itaque viris Firmilianus falsi postulatur, quod referat, quæ illi facta nollent, cuius tamen Scriptoris integritas allegatur in defensionem opinionis, quam ipsi amplectuntur, & de quo alii verentur suspicari, quasi scripserit, quæ facta non esse sciebat. Mitius Firmilianum tractat Valesius, dum hunc Oratorum more rem exaggerasse contendit. Sic abutuntur Authoribus, sic dictatoria potestate eorum Scripta interpretantur, ad arbitrium corrigunt, qui suis præjudiciis servientes eadem legunt. Verissimè Oratorum Princeps 4. *Academ.*

*Plerique errare malunt, eamque sententiam, quam adamaverunt, pugnacissime defendere; quam sine pertinacia, quod consuetissime dicitur, exquirere.* Certissimis Firmilianus in Eadem Epistola prodit indicis excommunicationem; quando Stephanum inhumanitatis arguens, narrat denegasse legatis alloquium, communionem, lectum & hospitium. Quam negationem non solum facti fuisse, sed etiam juris observat Baronius, qui id refert ad Legatos Synodi Iconiæ in Oriente celebratæ, alii melius ad Episcopos ab Afris Romam deputatos. Quod

itaque Stephanus olim minatus fuit, facto executus est, quando his Episcopis, negata pax, negata communio, id est Eucharistia, quam, more majorum, quibuscumque Romana communicabat Ecclesia, illis mittere solebat. Quod profectò illorum diluatur interpretamentum Epistolæ Dionysianæ, ac si Pontifex in minis tantum stiterit, & executione superfederit. Excommunicatio intentata suum deberet fortiri effectum, si Afris in pristina sententia manerent. Tantum verò abest, quod ab illa discesserint, Pontificique morem gesserint; ut etiam animosiores facti, majori apud Carthaginem Concilio convocato 87. Episcoporum cum presbyteris & Diaconis, præsentem maxima plebis parte communi contentione hæreticorum baptisma nullum esse decreverint, & Firmiliano decretum communicaverint. Illud Dionysium suscepisse, cum ex Hieronymo *Lib. de Script. Ecclesiast.* Natalis Alexander supponat, subinfert, incredibile esse hoc factum, si Patres illi excommunicati fuissent, quibus certè Dionysius sese minimè adjunxisset. Sed alii, retorquendo argumentum, dicunt, impossibile esse, quod Dionysius suam sententiam esse voluerit, ob quam Stephanus Afrorum & Orientalium ejurasset communionem. Cùmque Sanctus ille Patriarcha apud Sedem Apostolicam agere voluerit mediatorem & Advocatum, licet apud citatum Eusebium ex literis ad Sixtum, Stephani Successorem, datis apparet; nec tenues veri species sibi conciliari poterit, quod proscriptæ sententiæ adhæserit.

Quod Firmilianus eo tempore, quo Concilio interfuit, censurâ innodatus fuerit, nemo dicit. Sixtum, quem Pontius Diaconus, qui acta Cypriani conscripsit, vocat bonum & pacificum Sacerdotem, cum eodem Cypriano & Firmiliano pacem reintegrasse, antiquorum habetur testimonio; adedque orthodoxorum cœtui interesse nil vetabat, licet dissentiret à Romana Ecclesia in questione

stione difficillima, & necdum satis eliquata, ut loquitur S. Augustinus, & cuius decilio ad plenarium Concilium differenda videbatur. In eodem etiam Firmiliano, quantumvis à Stephani Communione sejuncto, fuerunt utique, quæ à viris præstantissimis laudari & commendari meruerunt. Plura quoque in Cypriano deprædicanda, & cuius nævum in candore sanctæ animæ charitatis ubera contegebant, ut piè sentit S. Augustinus.

Firmiliani tamen sanctitatem internam necdum exploratam habet Ecclesia Latina, qualem cum ei tribuere videretur Nat. Alexander, cenforiam animadversionem incurrit. Quamquam Baronius apud Spondanum ad an. 258. velit, quod Firmilianus Catholicæ communioni restitutus; Sancto sine defunctus sit, quem Græci inter Sanctos colant. *Vir (verba sunt Cardinalis) qui & doctrinâ & Sanctitate morum nulli propemodum illorum temporum videbatur Secundus; cuius natalem proinde ac aliorum Sanctorum in Menologio consignatum anniversariâ memoriâ Græci celebrant.*

Aliud quoque de hoc dissidio extat inter Scriptores modernos dissidium, quandopam scilicet illud fuerit sopitum, de cuius nec originis loco inter eosdem minimè convenit. Alii cum Baronio volunt primos hujus tempestatis fluctus in Oriente motos esse, quando ex Cappadocia Cilicia & Galatia Iconii convenerunt Episcopi, qui ad stabilendum suum de rebaptizandis cunctis hæreticis decretum miserunt ad Stephanum Legatos nec receptos, nec auditos.

Nonnulli, qui contendunt Concilium hoc diu ante Stephani Pontificatum fuisse absolutum, autumant in Africa hujus litigii semina jacta, quod vero proximum viderut. Certissimum interim est, Stephanum in sua sententia persistisse usque ad consummationem martyrii. Dubium autem an Orientales à contrariâ opinione discesserint. Ipso Stephano adhuc in vivis degente hoc contigisse

visum est Annalium conditori tom. 2. ad an. Christi 259. quod sese evincere arbitrat ex Epistola Dionysii apud Eusebium scribentis.

*Scias autem Frater cunctas per Orientem, & ulterius postas Ecclesias, quæ prius erant discissa, nunc tandem ad unitatem reversas, & omnes Ecclesiarum ubicunque Antistites unum idemque sentire: & obredditam in sperato pacem incredibili exultare gaudio. Inter hos nominat Dionysius Firmilianum cum universa Cappadocia. Accedit S. Augustinus cuius eadem insedit menti sententia, dum lib. 3. contra Crescentium cap. 3. scribit. Melius dici, Orientales sententiam suam correxisse, quam, ut Crescentius volebat, scidisse. Ipse etiam Alexandria Patriarcha, vir tantæ autoritatis & eminentiæ, ut ab ejus nutu omnes propemodum Orientales dependere, sententiam suam correxisse creditur, ut apud Eusebium l. c. cap. 8. absque Sixti consilio non fuerit ausus rebaptizare quendam hominem, quem sciebat invalidè fuisse ab hæreticis baptizatum. Refert etiam illud Baronius, quem Gesselius, melior utique medicus, quam Historicus Hist. Sac. frivole errorum hic arguit, quasi deceptus esset vir illustrissimus ex vitiosa Christophori translatione. S. Cyprianum pariter unum cum Afris suam retractasse sententiam eidem Cardinali certum est, quod ipsum Hieronymus conceptis testatum reliquit verbis, dum in Dialog. cont. Luciferia. postquam recussisset frustra eundem Præsulem molitum suæ Synodi approbationem abs Stephano obtinere, subdit. Denique illi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum omiserunt decretum. Quid hac in causa dicitur dici poterit? suffragatur S. Augustinus, qui Epist. 45. ad Vincentium mentis suæ seorsum calamo aperuit scribens. Cyprianum correxisse istam sententiam non invenitur: non incongruenter tamen de tali viro existimandum*

*dum est, quod correxerit.* Hanc de Cypriano præsumptionem confirmat Baronius, quod ipse ab universa Ecclesia Catholica die 24<sup>ta</sup> Septembris tanquam martyr colatur; quæ aliàs veneratio, si in pertinacia discessisset, minime illi deferretur.

Verum enim vero contrarium sustinentibus non desunt argumenta, quibus sibi persuadent, aliisque persuasum habere volunt, tam Firmilianum cum Orientalibus, quam Cyprianum cum Africanis doctrinæ de rebaptizandis hæreticis perpetim adhæsisse; atque disciplinam illam diu postea utrobique viguisse. De Orientalibus testimonium dicit Magnus ille Basilius, Firmiliani in Sede Cætarensi, sæculo intermedio, Successor, qui *Epist. ad Amphilochoium can. 47.* hæc inserit. *Encratita & Saccophori & Apostolita subiciuntur eadem rationi, cui & Novatiani; quia de illis editus est Canon eisi diversus. Quia autem sunt adversus eos, silentio prætermissa sunt. Nos autem una ratione eos rebaptizamus. Si autem prohibita est apud vos hæc rebaptizatio, sicut & à Romanis, alicujus Oeconomia gratia, nostra tamen ratio vires obtineat.* Hanc Orientalium disciplinam idem Præsul, Cypriani nomine, non uno in loco corroborat: quo datur intelligi, hanc à martyre ad extremum usque Spiritum retentam, tunc in Africa promiscuè floruisse. Idem confirmari poterit ex Concilio Arelatensi 200. Episcoporum, Anno 314. celebrato, cujus Canonis 8<sup>o</sup>. hic est tenor.

*De Afris, quod propria lege sua utantur, ut rebaptizent, placuit; ut, si ad Ecclesiam aliquis de hæresi veniat, interrogent eum Symbolum: & si perviderint illum in Patre & Filio & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponant, ut accipiat Spiritum Sanctum.* Hujus autem condendi Canonis nulla fuisset ratio, si Africanis anabaptismus hæreticorum in more positus non fuisset. Et cum huic consuetudini, vivente adhuc Stephano, nulla habita ratione minatum & infligenda-

rum, seu infligendarum pœnarum, renuntiare detrectabant, credibile non est, eo defuncto, sub Pontificibus Successoribus mitioribus à sua opinione destitisse. Huc accedit, quod Donatistæ, qui schisma contra Cæcilianum Episcopum Carthagi. Anno 302. inchoarunt, in sui erroris defensionem de rebaptizandis hæreticis Cyprianum aliosque citaverint, quod minime ausi fuissent, si Cyprianus hujusque asseclæ sententiam retraxissent; quos utique S. Augustinus confudisset, ostendendo Episcopum unà cum suis adhærentibus ab illa consuetudine & doctrina descivisse, quam *cit. lib. de baptis.* dicit per decreta Conciliorum penitus extinctam; ipsumque Cyprianum usque ad martyrium retinuisse intinuat hisce verbis.

*Martyrem Cyprianum, qui apud hæreticos baptisma volebat cognoscere, tanta merita usque ad triumphum martyrii secuta sunt; ut charitatis, qua exercebat, luce obumbratio illa fugaretur; & si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur.*

Quæ in oppositum exhibentur, videntur negantibus retractationem inepta & minus sufficientia ad hanc persuadendam. Dionysii testimonium huc nil facere merito censent nostri: ut temporum Critici eruditi, ut eruditus quoque testatur Schelstrate. Viguerat quippe diu schisma, quod Novatianus abortus fuerat, interfector pœnitentiæ à Cornelio Papa vocatus, quoniam lapsis veniam denegabat: atque ob hanc doctrinam divisæ erant Ecclesiæ Orientales, cujus Dionysius Alexandrinus, Stephano Pontifici scribens, meminit.

Cumque omnes demum in eam sententiam convenissent lapsos esse ad communionem recipiendos; Dionysius voluit esse Nuntius Pacis. Nequaquam igitur de reconciliatione inter Stephanum & Afros, itemque Orientales, ob rebaptismum in diversa abeunt: sed de unione Ecclesiarum in recipiendis lapsis tam Eusebius, quam Dionysius intelli-

intelligendi veniunt. Quod si tamen hæc Dionysii Epistola ad nos pervenisset integra, forsitan plenius constaret, in quo tunc Afri & Asiatici cum Romanis convenirent. Cuius interim pericopa cum extet Epistola in Eusebio conservata, insolenter Natalis Alexandret. 5. dissertat. 12. art. 11. Baronium perstringit, quasi hoc de suo finxerit. Neque in Augustini scripto quidpiam præsidii reperiri iudiciosi præterdunt; qui iuste Crescentium correxit; melius dici; Orientales suum correxisse errorem, qui in plenario Concilio damnatus fuerat; quem antea animosè defenderant. Conjectura de Dionysio ex facto, in eodem nullo loco est, qui voluit hunc nunquam rebaptizasse hæreticos; quod disciplina, à suis introducta prædecessoribus, vetabat, quique etiam Pepulianos hæreticos, Basilio admirante, sine baptismo recepisse fertur. Quidni ergo detrectaret baptizatum, posthabito illius scrupulo, abluere, quemadmodum Sixto Papæ scribit: ejus requirens consilium? Piè credidit S. Augustinus Cypriani retractationem, ejusque conjectura, de malevola rei gestæ suppressione, suis sibi videbatur nisi sublicitis. Ast ea tempora vivimus, ut conjecturis in questione facti nihil tribuatur virium probandi, quando in contrarium obstant argumenta. Cæterum facta non præsumuntur: sed probantur. Si Ludovico Hainbourg habenda fides, idem S. Pater in Libris de baptismo contra Donatistas centies clarè tradit Cyprianum cum Afri, horumque Successores usque ad decisionem in plenario Concilio, in sua de baptismo ad Ecclesiam revertentibus hæreticis conferendo persistisse opinione. Ita scribit in tractatu historico de fundatione & prærogativa Eccles. Rom. quem Gallico idiomate divulgavit, indeque multum negotii sibi concivit. In eo pauter Anachronismum planè evidentem observat, quod Baronius ex Epistola Dionysii inferre voluerit Asiaticos à sua opinione de rebaptizandis hæreticis destituisse:

liquidem Dionysius illius tantum meminit, quod Episcopi egerunt sub Pontificatu Cornelii; & Stephanum Successorem precatur, ne illos malè tractet ob eam quam retinent etiamnum opinionem, qui sub suo prædecessore hæresin Novatiani condemnaverant.

Interim testimonium S. Hieronymi tam manifestum, quàm omni acceptione dignum, ita Baronii adversarios torquet, ut inter eos Joannes de Launoy non fuerit verius Eccles. Doctorem falsi postulare, vultque deceptum occasione cujusdam libri, cujus titulus. Pœnitentia S. Cypriani, qui in quadam Synodo Romana 74. annis post mortem ejusdem Doctores tanquam falsus & suppositivus fuit declaratus. Hæc ipsum fœderat citatus Maimbourg, qui l. c. cap. 9. scribit, quod omnes eruditi ita de Hieronymo sentiant; quo profectò minus circumpectè non paucos in lucubrationibus antiquorum Patrum versatissimos & eruditionis famâ celebres extra eruditorum censum collocat. Un passim, sic quoque hæc à Maimbourgo dilentur Schelstrate, qui tamen animadvertit Hieronymum ne verbo quidem attingere S. Cypriani pœnitentiam, cum de Episcopis duntaxat loquatur, qui Cypriano adhaerent. Omnibus deinde eruditionis suæ nervis hæc Clarissimus Ecclesiasticæ antiquitatis illustrator conatur suæ opinioni obstantibus solutionem adferre: qui tamen si testimonium conservatæ propugnataque ab Orientalibus disciplina ex Epistola citata Magni Basilii recepisset, non minus illud sibi facessisset negotio, quàm adversariis creat illa Hieronymi Ephraïsis. Porro Athanasium, Opratum Melvitanum, Cyrillum Hierosolymitanum aliosque, qui post Concilium Nicænum ante Constantinopolitanum scripserunt, huncque Orientalium morem derestati sunt, falsi recedatguere, nemo, nisi deposita fronte, præsumet. Cætera quidem, quæ in probationem continuatæ hujus disciplinae exponuntur, non tam valida reputantur, quin infirmari possint.

sint. Quod enim ex Canone octavo Concilii Arelatensis supponitur, id Jacobus Sirmundus in *Notis*. non de Orthodoxis; sed Schismaticis Africanis ac Donatistis, qui cum pertinacia tuebantur errorem intelligendum observat. Hos S. Augustinus Cypriani respicientia confundere noluit; quia nihil sine authentico testimonio proferre voluit. Hanc quidem ipse credebat: sed non inveniebat, ideoque suspicabatur, quod fortasse ab iis sit suppressa, quia eo errore nimium delectati sunt, & tanto, velut patrocinio carere noluerunt. Neque eam Schelstrate admittit sequelam. Tot Episcopi sese Stephani sententiae opposuerunt, suam mordicus defenderunt; ergo eam, hoc defuncto retinuerunt, quam illo vivente in usu habuerunt. Facile enim a devio reduci potuerunt aliis modis, mediis aprioribus, quam ea fuerunt, quibus Stephanus usus fuerat.

Constat mitigatis demum animis pacem introductam, quam cultivavit Sixtus cum Africanis pariter & Asiaticis, qua sopita creditur de Anabaptismo Controversia. Imo magnus Annalium parens hanc de Cypriani respicientia certitudinem adeo firmiter menti suae impresserat, ut vecordem & emoræ mentis reputet illum, qui posset vel leviter

suspicati, unum Cyprianum pernicius in sententia perstitisse, & non, quod sapius est literis contestatus, sic de quaestione proposita altercati; ut in omnibus voluerit mutuae paci & concordiae esse consultum. Ast sicut verissimum est illud, Christi pacem Cypriani in animo adeo infixam fuisse, ut nil Schismatis ab eo exortum sit, testante S. Augustino *Lib. de bapt. contra Petil. cap. 14.* quod cum Stephano in Catholicae unitatis communione perstitit; ita nemo non videt, quod idem martyr inclutus usque ad capitis detractionem, illa sua charitate, potuerit suae inhaerere sententiae, quam veritati conformem sibi omnino persuadebat; qui in ipso contentio- nis æstu. Stephanum fratris appellatione dignatus est afficere. Fuit demum Veterum pugna terminata; necdum autem recentiorum de ea contentio, de qua liceat dicere, quod olim Hipponensis Antistes de jejuniis Sabbathi: *Epist. 86. ad Casulanum.*

*Interminabilis ipsa Contentio generans lites, non finiens quaestiones.*



CON-